DE OFFICIO IVSTITIÆ ARAGONVM.

TITVLVS V.

I. In novissima Compilatione. XLIV.

PARATITLON.

DE OFFICIO IVSTITIÆ ARAGONVM Titulus hic inscribitur: Et quod in omni pleyto siuè causa quæ erit inter Regem & subditos sit Iudex, *For*. 1. statuitur. Et quod Iustitia Aragonum sit Miles, *For*. 2. Idem *in §. Item, que el Iusticia, For. Priuileg. Gener*. Ann. 1283. Similes *Tit. Quod in dubiis non crasis Regens Officium Gubernationis, & alii Officiales teneantur consulere Iustitiam Aragonum*, Ann. 1348. Et *Tit. Quod Iustitia Aragonum possit habere duos Locumtenentes*. Et *Tit. Quod Iustitia Aragonum teneatur consulere, &c*. Ann. 1352. Et *Tit. Quod Inhibitiones Iustitiæ Aragonum cum seq*. Ann. 1371. Et *Tit. Quod impetrans litteras ad impediendum Officium Iustitiæ Aragonum*, Ann. 1372. Et *Tit. de Offic. Iustitiæ Arag. & Inquisitorum eiusdem*, Ann. 1390. Et hoc *Tit. De Officio Iustitiæ Aragonum*, Ann. 1436. vbi primum concepta Rubrica ista fuit. Et Ann. 1442. Et *Tit. de Processu contra fractores Inhibitionum Iustitiæ Arag*. Ann. 1461. Et *Tit. Forus Inquisitionis Officii Iustitiæ Aragonum*. Et *Tit. De Virgariis Curiæ Iustitiæ Aragnum*. Eodem Ann. Et eodem *Tit. Forus Inquisitionis Officii Iustitiæ Arag*. Ann. 1467. Et *Tit. de Offic. Locumtenentis Iustitiæ Arag*. Ann. 1510. Et Ann. 1547. Et *Tit. de la residencia de los Lugar-Tenientes en la Camara de Consejo*. Et *Tit. de el salario de los Lugar-Tenientes de el Iusticia de Aragon*. Et *Tit. de las personas nombraderas para el Oficio de Lugar-Tenientes*, Ann. 1553. Et plures alii superioribus similis in Curiis Annor. 1564. Et 1585. Et 1592. Et 1626. Et 1646. Et 1678. vbi videas.

COMMENTARIVS.

I. QVoniam de IVSTITIA ARAGONVM, & eius OFFICIO loquuntur plures Fori pro eorum additu, & vt materia quæ in illis agitur posſit memoriæ commendari, proponentur aliquæ quæſtiones, quibus applicabuntur omnia ferè, quæ de Officio Iuſtitiæ Aragonum in Foris ſcripta ſunt.

Prima quando Officium Iuſtitiæ Aragonum fuit in eſſe productum?

II. A quo fuerit prouiſum, & prouideatur dictum Officium Iuſtitiæ Aragonum?

III. Quibus poterat, & poteſt prouideri?

IV. Quæ requirantur, vt prouiſus de dicto Officio illud exercere poſsit?

V. Quæ ſit vis, poteſtas, & iuriſdictio huius Officii?

VI. Qualiter prouiſus de dicto Officio iuriſdictionem exerceat?

VII. Quid de ſalario dicti Officii ſtatutum reperiatur?

VIII. Qualiter dictum Officium impediatur ſeu exercitium, & iuriſdictio illius?

II. Circa primam Quæſtionem quando fuit creatum, & formatum dictum Officium Iuſtitiæ Aragonum, non poteſt perpendi ex Foris, nam loquuntur de eo, vt iam in eſſe producto, ſicut de cæteris Officiis Regni. Primus Forus, qui loquitur de Iuſtitia Aragonum eſt For. *de confirm. monet.* dicens in fin. *Teſtes iuratores ſunt, &c. Petrus Petri Iuſtit. Arag.* & eſt primus Iuſtitia nominatus in *Littera* Io. Ximen. Cerdan, qui poſt dictum Petrum Petri nominauit Ximenum Perez de Salanoua, ſed eum præcedit Petrus Martinus de Artaſona, de quo etiam meminit enuntiatiuè *Priuileg. gener. in fin.* qui vt elicitur ex Foris fuit poſt Petrum Petri, & antè Salanouam, Molin. circa hanc quæſtionem *in verbo Iuſtit. Arag. in princip.* remittit ſe ad Io. Ximen. Cerdan *in ſua Littera*, qui *pag.* 1. *in fin.* aſſerit quando, & ex qua cauſa ſit introductum, ſcilicet, tempore creationis Regis. Nam poſtquàm populus fuit auctus & Reſpublica, quia ſine Rege non poterant gubernari, vt dicit Oldra. *conſil.* 94. & Ancarr. *conſil.* 339. *Opportet* (inquiunt) *Reges creari, vt per eos Reſpublica gubernetur.* Sed ad vitanda damna, quæ Samuel nuntiauit, petentibus Regem, cautiſsimè tranſtulit populus iuriſdictionem, ſeu exercitium illius in Regem, conſtituendo Mediatorem, & Iudicem inter eos & Regem: & hac lege, & pacto fuit Regi tributa poteſtas. Itaque venerunt in ſubiectionem Regis, mediante dicto fœdere, quod cùm ſit ſeruandum, eſt verum dicere, Aragonenſes quoad plenitudinem poteſtatis non eſſe ſubditos Domino Regi, *l. non dubito, ff. de capti.* Alciat. *de præſumpt. regula tertia, §.* 8. *in fin.* & non ſolùm hæc pacta tenent à principio creationis Regis, ſed etiam poſtquam tranſlata eſt iuriſdictio in Dominum Regem poteſt D. Rex ſe ſubmittere iuriſdictioni alterius in cauſis ſuum intereſſe concernentibus, *l. eſt receptum, de iuriſdict. omn. iudic.* Bald. *de pace Conſtan.* quem allegat Molin. *verbo Libertatum Aragonenſium origo*, ad quem locum dictus Molin. ſuper *dict. quæſt.* ſe remittit, vbi agit de origine dicti Officii aſſerens, eodem tempore fuiſſe creatos & Dominum Regem & Iuſtitiam Aragonum, remittendo ſe etiam ad Choronicam Regni ſuper origine dicti Officii, de qua loquitur aliquid Hieronymus Zurita.

III. Circa ſecundam quæſtionem, à quo fuerit prouiſum, & prouideatur dictum Officium? Si vera eſt opinio, quam refert Ioan. Ximenez *vbi ſup.* quod fuit Iuſtitia Aragonum creatus ante Regem, perſpicuum erit, quòd prima prouiſio Iuſtitiatus prædicti facta fuit à populo: & quidem iuſtè, nam iuriſdictio eſt in populo Couarr. *practic.* 1. *num.* 2. & ab eo transfertur in Regem, & ſic potuit à dicto populo, antequam illam tranſtulerit in Regem, transferre in Iuſtitiam, illam quam habet. Itaque prima prouiſio, quæ de dicto Officio fuit facta (ſi vera eſt opinio relata per dict. Ioan. Ximenez) facta fuit à populo: poſt dictam primam prouiſionem, cùm de ea facienda nihil cautum reperiatur, erit dicendum ad Dominum Regem expectaſſe, & expectare ex his, quæ latè notat Auendañ. *de exequend. mandat. lib.* 1. *cap.* 1. quod ad Dominum Regem pertinet creandorum Magiſtratuum prouiſio, & illam fieri à Domino Rege elicitur ex For. 4. 8. *&* 9. *huius tit.* & ex aliis Foris, & ita fieri videmus. In quibus, & aliis Foris dicti Tituli ſtatuitur, qualiter per Dominum Regem eſt facienda dicta prouiſio, ſcilicèt ad vitam prouiſi, & renuntiatio illius nō tenet, niſi ſponte, nec præcedente aliqua obligatione in manibus, & poſſe Domini Regis facta fuiſſet, *vt in fin. quæſt.* dicetur. & qualiter Dominus Rex tenetur dictam prouiſionem facere intra ſpacium triginta dierum à die intimationis ſibi factæ, For. *Cæterum hoc Tit.*

Tit.de Offic. Iustit. Arag. Quæ intimatio fit per Locumten. Iustitiæ, Baiulo generali, & Procuratori Fiscali, & Diputatorum Regni, vt refert Molin. verbo *Mors*, ita factum fuisse in morte Berengarii de Bardaxi.

IV. Circa Tertiam quæstionem scilicet cui potest dictum Officium prouideri? hoc elicitur ex For. 2. *huius Tit.* iuncto For. *Quod extra. à Reg. non pos. hab. Offic. in Reg.* Ex quibus elicitur, creandum in Iustitiam Aragonum habere debere tres qualitates, scilicêt quôd sit Miles, de quo *in dict. For. 2.* & quod sit naturalis de Regno, & domiciliatus in eo, vt dicit *dict. For. Quod extra. à Reg.*

V. Requiritur ergo primo quod sit Miles, Molin. verbo *Iustitia, vers. 3.* & circa hoc possunt proponi eædē quæstiones, quæ circa creationem Regentis Officium Gubernationis proponentur in quo similiter requiruntur dictæ tres qualitates; scilicêt de quo milite intelligitur, an de magno, vel simplici? quia non ita dicitur de Iustitia, quod sit miles simplex, sicut dicitur de Regente, quôd sit miles simplex, sed dicendum est, esse debere militem simplicem, ex quo per *For. fin. quòd in dub. non cras.* tenetur Iustitia ad pœnam corporalem talionis, quæ non potest cadere in milite magno, seu nobili, *Obs. 2. de pace*, Molin. *dict. versic. 3.* Item posset dubitari an creari possit nobilis in Iustitiam Aragonum renuntiando nobilitatem, ad effectum, vt puniri possit corporaliter: & concluditur, vix fieri posse, ex his, quæ dicit Couarr. *in cap. Quamvis, 2. relect. in princip. num. 5. vsque ad fin.* & plures ibi citati. Et similiter debet considerari, quôd dictus Iustitia, licêt sit Infantio, Dominus vassallorum, quôd creetur miles, antequam iuret, vt dicetur in *quæst. seq.*

VI. Dicitur insuper, quod dictus creandus in Iustitiam sit naturalis de Regno natus in eo, vt dicitur in dict. For. *Quod extr. à Reg.* Potest similiter dubitari an extra Regnum natus, iuxta For. *Actus Curiæ super fil. Reg.* possit creari in Iustitiam Aragonum, & concludendum est, quôd sic, quia per dictum Forum æquiparantur casus verus, & fictus in omnibus, & per omnia, quo casu dispositum in casu vero locum habet in casu ficto, Socin. *cons. 169. num. 9. lib. 2.* Ias. *in l. 1. num. 4. de vulg.*

VII. Dicitur insuper, quôd dictus creandus in Iustitiam Aragonum sit domiciliatus in Regno: Quando dicatur domiciliatus, & si habet plura domicilia, & quando est Dominus vassallorum & habet vassallos in Aragonia, & Cathalonia seu alibi, & ibi degit si ea ratione quod habet vassallos in Aragonia dicetur ibi domiciliatus, vt possit esse Iustitia, dicendum est in omnibus, & per omnia id quod dicetur circa Reg. Offic. Gubern. infra in For. *Quòd Reg. Offic. Gubern. sit mil. sim. in 3. quæst.* Habens igitur has tres qualitates creari potest Iustitia Aragonum quicumque sit, cum edictum sit prohibitorium, cum non à iure propter lubricum ætatis, dementiæ, vel alias prohibeatur.

VIII. Circa Quartam Quæstionem scilicêt quæ requiratur, vt prouisus de dicto Officio Iustitiæ Aragonum admitti valeat ad exercitium illius, supposito, quod ante prouisionem est iam creatus miles, vel si non est tenetur, ante quam iuret iuxta Forum, & debet creari miles, sicut dicetur in Reg. Offic. Gubern. & fecit ita Dom. Ioan. de Gurrea, qui cum se præsentauit Locumten. Gener. cum prouisione Regia, antequam iurasset, fuit creatus Miles, licêt esset Mesnaderius, & Dominus vassallorum, & ita fieri debere in Iustitia Aragonum, cum in vtroque dicta qualitas requiratur. Sed videtur, quôd non sufficiat hæc qualitas obtenta tantum, ad effectum consequendi dictum Officium, ad notata in *cap. fin. de verbor. signif. in 6.* & refert Pertusa *super For. 1.* quamdam determinationem factam in prouisione dicti Officii in persona Ioan. Ximenez Cerdan. At videtur dura dicta Determinatio, ex quo *dict. cap. fin.* loquitur in materia odiosa, & restringibili, nos sumus in materia fauorabili, & ita videtur sufficere, quôd dicta qualitas adiecta verbo sufficiat, si tempore verbi, verificetur, & sic tempore, quo admittitur ad Officium, nam per iuramentum datur exercitiuum Officii, Paris. de Put. verb. *Iustitia, versic. iuramentum, fol. 139.* Auendañ. *de exeq. man. lib. 1. cap. 2. in princip.* & non dicitur quis Iudex, antequam incipiat vti iurisdictione, Spec. *de remis. §. 4. versic. In summa*, & sic erit primum requisitum in dicto Iustitia, antequam admittatur ad exercitium dicti sui Officii, quôd creetur Miles, qui cùm sit Infancio, potest à quocumque Milite promoueri, & sic poterit promoueri à Locumten. vel Domino Rege, in quorum posse tenetur iurare, prout fecit Dom. Ioan. de Gurrea.

IX. Tenetur itaque postquam est Miles creatus, antequam ad exercitium dicti sui Officii admittatur, iurare ea omnia, quæ continentur in Foro *De his quæ Dominus Rex*, & in Foro *De iuram. præst.* vbi asseritur, debere probari dictum iuramentum, antequam ad exercitium dicti Officii admittatur. Hoc enim à iure statutum est adeô, quôd actus gesti ante præstationem dicti iuramenti sunt nulli, *in Rubr. & nig. in auth. vt ius iur. quod præst. col. 2.* Angel. *in auth. vt Iudices sine quo. suffrag. §. ius iurandum, col. 2.* Auendañ. *vbi sup.* Afflict. *tit. de Sacr. præst. lib. 1.*

Rubr.

Rubr.67. ac etiam tenetur iurare contenta in For. *de subsid.* Molin. verbo *Iustit. Arag. in princip. sui Officii.* Et istud iuramentum est præstandum per dictum Iustitiam in posse Domini Regis, vt dicit For. *de iuram. præst.* vel in posse Locumten. Gener. ex quo omnia, quæ per Foros sunt statura in Domino Rege locum habent in eius Locumtenente, vt dicetur infra in For. *Quòd Dominus Rex non possess. facer. Locumten. sui.* Et etiam credo quòd absente Domino Rege à Regno, & non dato Locumtenente in Regno, quòd dictus Iustitia posset iurare in posse Regn. Offic. Gubern. Præsidentis in Regia Audientia ex quo dicta Regia Audientia repræsentat D. Regē, Rolād. *cons. 70. lib. 1.* Carauit. *in Rit. magnæ Cur. Ritu* 84. Aluar. Valasc. *de iure emphyt. cap. 6. n.* 17. nam quicumque in ea præsideat, præponitur in prouisionibus nomen Domini Regis.

X. Item quia per Foros anni 1528. necessario in pluribus debet iurisdictio dicti Officii exerceri per eius Locumtenentes, ideò vt plenē dictum Officium Iustitiæ Aragonum exerceri possit debet habere quinque Locumtenentes Iustitia, qui pro prima vice creantur à Domino Rege, ex his decem, & sex qui nominantur per quatuor Brachia, & data vacatione alicuius extrahitur à bursa Locumte, qua exhausta nominantur tres à Locumtenentibus superstitibus, ex quibus eligitur vnus à Domino Rege; qui electus, & cæteri iurant in posse Diputatorum, & recipiunt sententiam excommunicationis; qui exercent omnia, quæ ad dictum Officium pertinent; tenetur tamen & potest dictus Iustitia per se in propria persona exercere nonnulla ad dictum Officium expectantia, de quibus suo loco dicetur. Et est adeo necessaria creatio dictorum Locumtenent. quòd dictus Iustitia sinē eis non potest exercere præter nonnulla: illi autem sine eo omnia, quæ ad dictum Officium pertinent, ita quòd deficiente Iustitia ipsi Locumtenent. nominantur Regentes Officium Iustitiæ. Foro *Cæterum* hoc tit. Et vbi contingat vacatio alicuius ex dictis Regentibus fit prouisio iuxta For. *Locumtenent. hoc tit.* Secus tamen erat olim, quia Iustitia solus poterat præstito dicto iuramento ab integro exercere dictum suum Officium: erat tamen in eius facultate creare vnum Locumtenen. iuxta For. *De tenent. loc. iudic.* per quem poterat dictum officium exercere: deinde potuit creare duos, vt vnus in absentia alterius exerceret: tractu tēporis fuit permissum, quòd ambo Locumtenentes creati à dicto Iustitia possent vterque simul exercere. Post dictos Foros de anno 1528. Locumtenentes tantum exercēt, demptis certis actibus, qui etiam per dictum Iustitiam exerceri possunt, & debent, vt dicetur *in 6. quæst.*

XI. Circa Quintam Quæstionem scilicet quæ sit vis potestas, & iurisdictio huius Officii, si credimus Papæ Benedicto XIII. relato per Ioan. Ximen. Cerdan *in sua littera missa Martino Diez de Aux*, non est potestas super terram, quæ ei comparari posit, & sic non reperitur Officium, cui in iure comparari possit in omnibus, & per omnia. Comparari posse videtur Officio Quæstoris, in eo, quod sicut Quæstori cæteri omnes, & singuli Regii, Iustitiarii, quocumque nomine nuncupentur, ac quauis fungantur auctoritate, subjiciuntur (vt dicetur infra For. 1. *de Offic. Cancell.* refert Terrarubea *in Procem. fol. 3.*) sic videmus quòd omnes Officiales subjiciuntur Iustit. Aragonum. Ita quòd de causis illorum delinquentium in suis Officiis, in accusatione directa, solus Iustitia est Iudex competens, & quidem sine recursu. For. 3. *Quod in dubiis non crasis*, Molin. verbo *Iustitia Aragonum, versic. Item eodem modo.* In eô vero, quòd dictus Iustitia est Iudex competens inter Fiscum, & priuatum (Obseru. *Item in omnibus, de Priuil. mil.* Obseru. *Item in Aragonia interpret. qual. & inqui.* For. *de Proc. Fisc.*) comparatur eius Officium Procuratori Cæsaris, qui est Iudex inter Fiscum, & priuatum, vel Procuratori Fisci secundùm distinctionem traditam per Cin. & alios in *l. Procurat. C. de edend.* quia de quocumque patrimonio Domini Regis agatur, est Iudex Iustitia Aragonum, nam indistinctē de causis, quæ ad Dominum Regem pertinent siue agendo, siue defendendo agi debet coram Iustitia Aragonum: de quo latē Molin. verbo *Iustitia Aragonum.* Est etiam Iudex competens, & peculiaris inter Fiscum & priuatum nisi in causa introducta se opponeret, quod facere potest coram quocumque Iudice, Molin. verbo *Rex, versic. Dominus Rex si litigat.*

XII. In eo verô quòd ad eius Officium pertinet interprætatio & declaratio Fororum Regni, For. *Quod in dubiis non crasis*, Molin. verbo *Iustitia Aragonum tenetur respondere*, quibus comparari potest Officio Prætoris, à quibus iura dicebantur: vt dicitur *de Offic. Prætor.* & notat ibi Cuiac. In eo verô, quòd dictus Iustitia Arag. per suas Inhibitiones prohibet cæteris Magistratibus, vim fieri per illos, comparatur eius Officium, & assimilatur Officio Tribuni, cuius Officium est prohibere cæteris Magistratibus vim fieri, vt declarat Cagnol. *in l. 2. versic. eisdem temporibus, num. 318. de orig. iur.* Solus siquidem Iustitia Aragonum est cuius Officium imploratur contra alios Magistratus, inhibendo illos, ne ab illis grauaminibus

uamina inferantur, firmando coram eo de stãdo, & parendo iuri: & hoc iuri consonum est, ex his, quæ dicit Bald. per illum text. *in l. si pater. C. qui bon. ced. pos.* quem refert Barb. *in cap. si autem, num.* 27. *de rescript.* Felin. *in Rubr. de treg. & pace, num.* 12. vbi ille, qui grauari timet ex facto alterius, potest Iudicis Officiũ implorare, vt Iudex ante factum inhibeat eos, à quibus iniustê vexari timet: quẽ etiam text. ad id in terminis allegat Rom. *consil.* 244. *in princip.* videndus Alexand. *in l. si finita, §. eleganter, num.* 25. *&* 29. *de damn. infect.* In quorum doctrina, & in his, quæ ponit Molin. *verb. Firma, versic. fin.* adde Plot. *de in litt. iuran. §.* 3. *num.* 33. *& num.* 37. Ruin. *consil.* 89. *nu.* 17. *volum.* 4. fundatur praxis dictarum firmarum grauaminum faciendorum, exprimendo in propositione iuris firmæ oblatæ dicto Iustitiæ (intelligo semper de eius Locumten.) causam, in qua fundari debet dicta inhibitio, resultantem, vel ex dispositione Fori, & Obseruantiæ Regni, vel partium conuentione, priuilegio, præscriptione, aut aliàs: quæ causa, cùm dicto Iudici videatur concludens, & sibi de ea ex deductis in processu constare, operatur, quòd dictus Iustitia concedat dictam inhibitionem contra Iudices, inhibendo illos, cum si quas causas: quandoque priuilegiatê, quando dicta inhibitio tendit ad impediẽdam executionem priuilegiatam, vt dicetur in materia iurisfirmarum. Denique in eo, quod inhibet per dictam viam iurisfirmarum, vel alias, ne cæteri magistratus vim inferant, assimilari videtur dictum Officium Iustitiæ Aragonum, dicto Officio Tribuni, vt dictum est.

XIII. Habet igitur dictum Officium Iustitiæ Aragonum plura ex potioribus, quæ in multis magistratibus considerantur. Nam circa honorem decoratur nomine, quia habet nobile, & excellens nomen, & vt ait Ioan. Ximen. Cerdan *in dict. Littera* præ cæteris magistratibus dictus Iustitia venit honorandus. Item eius persona est adeo priuilegiata quòd neque Dom. Rex, nec aliquis eius Officialis pro quocumque delicto, quantumcumque graui, castigari potest, sed cognitio, & castigatio est reserdanda ad Curias generales, facienda per Dominum Regem, & Curiam, & non aliàs, nec aliter: adeo quòd nec pro debito Ciuili capi poterit For. 3. *isto Tit.* Molin. *verbo Iustitia Aragonum, versic.* 4. *&* 5.

XIV. Iustitia Aragonum creat Officiales suæ Curiæ: creabat olim vnum Locumtenen. nutualem iuxta For. *De Tenentib. loc. Iudic.* deinde per For. *Quòd Iustit. Arag. pos. hab. duos Loc.* poterat creare duos Locumtenentes similiter nutualiter, quorum vnus posset exercere ob defectum alterius non ambo simul. Postea datum fuit, quod ambo simul exercerent: quæ creatio Locumtenen. hodie cessat, vt de his omnibus in Foris Inquisitionis, Molin. *fol.* 204. *col.* 4. Creat Notarios suæ Curiæ, nam vt dicitur *in dict. Littera* Ioan. Ximenez Cerdan, scribania Iustitiatus fuit incorporata Officio, & sic committit regentias scribaniarum dictæ suæ Curiæ, quibus sibi est bene vi sum, & Notarium Curiarum generalium, in quibus ipse est Iudex. Creat Virgarios octo, duos priuilegiatos, reliquos sex non priuilegiatos: & nominat Notarios, cum quibus dicti Virgarii Officia sua exequantur, vt dicitur in For. *De Virgar.* Dicti sui omnes Officiales, scilicet Locumtenentes Notarii, & dicti duo Virgarii sunt priuilegiati, quia per Dominum Regem, nec eius Officiales possunt pro delictis per eos commissis, vt priuatæ personæ castigari, vt dicitur in *dict. For.* 3. *hoc tit.*

XV. Prouisiones & inhibitiones dicti Iustitiæ ab omnibus sunt obediendæ, & obtemperandæ, sola vna cognitio spectat ad Iudicem, vel Officialem, cui præsentatur, scilicet an dicta inhibitio sit facta in suo casu; vel non, constito quòd inhibitio non arctat, nec loquitur in suo casu, potest procedere suo periculo non obstante inhibitione, cùm ex separatis non bene inferatur, *l. Papinianus exuli, de minor.* aliàs in casu, quo inhibet parendum est inhibitioni, For. *Rursus, infra eodem tit.* For. *Quod inhib. Iust. Arag. ab omn. par.* & qui in dicta prouisione grauatur, debet ipsum Iustitiam adire super illius reuocatione: ita quod eius Litteræ sunt obtemperandæ, nisi essent nullæ ex defectu solemnitatis, quoniam nullum præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, facit For. *Rursus isto tit.* Molin. *verbo Iustit. versic.* 17. & ipse iudicat de Litteris Dom. Regis, Primogenitum, & aliorum Officialium an sint obtemperandæ, vel non, For. 1. *De iuram. præst.* cuius declarationi stari debet. Habet potestatem, castigandi inobedientes, For. *De proces. cont. fract. inhib.* & eos, qui eius iurisdictionem turbare nituntur, impetrando Litteras ad impediendum eius Officium, vel aliàs, For. *Quod impetrans,* Molin. *dict. verbo Iustit. versic.* 33.

XVI. Dominus Rex, Primogenitus & Locumtenens generalis iurant in eius præsentia, & posse, For. *Coram quibus Domin. Rex, Primogen. &c.* For. *El Lugar-Teniente general, infra isto tit.* Extenditur eius iurisdictio ad Regnum Valentiæ in locis populatis ad Foros Arag. in Regno Valentiæ. Si eius sententiæ, & prouisiones impediuntur exequi, potest compellere Officiales Regis, & singulares Regni, quatenus suis sumptibus illum sequantur, & iuuent donec executio sit perfecta, For.

Muy conuenient. Et in turbantes exercebit iurisdictionem suam, pro modo delicti eos castigando, vt *in dict.* For. *Muy conuenient. isto tit.* Molin. *verbo Iustit. versic.* 14. & ita fuit factum anno 1551. super Castro de Buil.

XVII. De vi potestate, & iurisdictione huius Officii circa cognitionem causarum agendo, sunt distinguenda tempora: nam ante Foros libri decimi editos occasione renuntiationis factæ per Aragonenses, de priuilegio Vnionis (de quo meminit Molin. *verbo Libertatum Aragonensium origo*) parum frequentabantur causæ in Curia Iustitiæ Aragonum, quia ex Foris anterioribus non detegitur habuisse tam amplam potestatem dictus Iustitia, & ita refert Ioan. Ximenez Cerdan in sua Littera. Sed præmissis videtur vnum obstare, quia vt dicitur in *Priuilegio generali*, de quo ante dictos Foros libri decimi, Iustitia Aragonum erat Iudex causarum omnium, quæ ad Curiam venerant, & dicta Curia celebrabatur quolibet anno, vt dicitur in dicto Priuilegio, quòd omnes causæ veniebant tractandæ in Curia, & in effectu in Curia dicti Iustitiæ post dictos Foros dicti libri decimi, in quibus tribuitur tam ampla potestas dicto Officio, vel excitatur in illis, vt ex proximè dictis apparet. Vt clarè sciatur eius Officii vis, potestas, & iurisdictio, circa dictam cognitionem causarum in Curia generali (quia licet per priuilegium generale id sit statutum, quòd Iustitia iudicet omnes causas, quæ ad dictam Curiam venerint cum Consilio Dom. Regis, vel Ricorum, &c. Hodie cessat dicta cognitio, non quia deficiat iurisdictio, sed quia statutum habet Senatum ex quinque Locumten. in quo agitantur causæ singulorum, & in Curia solum agitur de grauaminibus, quæ prætenduntur illata à Dom. Rege, vel eius Oficialibus, vt dicetur infra in For. *de Gener. Cur. Arag. celebr.* & super illis iudicat dictus Iustitia, vel delegantur Iudices) sunt distinguendæ causæ. Quædam enim sunt, quæ coram solo Iustitia sunt tractandæ, & ab eo terminandæ sine aliquo recursu. Quædam sunt causæ, quæ necessariò sunt coram dicto Iustitia inchoandæ, & tractandæ in prima instantia, potest tamen de his haberi recursus. Quædam verò sunt causæ quæ possunt inchoari in Regia Audientia, vel in Curia dicti Iustitiæ, & etiam nonnullæ ex illis coram ordinariis. Quædam sunt etiam causæ, quæ in prima instantia non possunt inchoari in dicta Curia, nisi tamen in secunda, vel tertia instantia. Quædam sunt tandem, de quibus nec in prima, nec secunda, vel alia instantia potest cognosci in dicta Curia, de quibus summariè aliquid attingam, cum de singulis, suis locis, dici poterit. Quædam igitur sunt causæ, quæ coram solo Iustitia, seu in eius Curia tractari valent, vt sunt primò causæ Criminales Officialium delinquentium in suis Officiis, etiam si sint vicini de Teruel, non tamen de Officiis ibi administratis, Molin. *fol.* 204. *col.* 3. de quibus per viam accusationis directæ coram eo, & sine recursu agi poterit, For. 3. *Quod in dub. non cras.* Molin. *de Official. delinquen.* & *in verbo Iustit. Aragon.* declarat idem de iure, quòd dictæ causæ sint sine recursu, Marant. *de appellation. num.* 290. Bossi. *de Foro compet. num.* 6. Socin. *regul.* 40. *fallent.* 18. & in Francia sunt tractandæ dictæ causæ in magna Curia, Grassal. *lib.* 2. *iure.* 17. *versic. Quartus casus*, Capic. *decis.* 27.

XVIII. Item prouisiones iurisfirmarum, grauaminum fiendorum confirmationes, seu reuocationes illarum à nullo Iudice nisi à Curia Iustitiæ Aragonum emanare possunt, & quidem sunt sine recursu, For. *Antepen. de voluntad. isto tit.* Molin. *fol.* 202. *col.* 2. *in fin.* & *verbo appellatio. fol.* 19. *col.* 3. *in fin.* & *in verbo Firma. fol.* 146. *col.* 4. vbi constituitur differentia inter has, & ordinariorum Firmas, quæ Firmæ possunt peti à quocumque cuiuscumque qualitatis, qui grauari timeat, & contra quoscumque Iudices, etiam contra eundem Dominum Regem, For. *De Inbibitio. Domino Regi præsentandis.* Et alibi etiam contra Iudices Ecclesiasticos prouideri solent, cum nominatione arbitri, si contendatur de iurisdictione, iuxta For. *De la Competencia*, & etiam sine dicta nominatione in vim priuilegiorum, & exemptionum, ac in vim appellationum ratione violentiæ, quæ, postquàm est appellatum, prætenditur fieri per ipsos Iudices Ecclesiasticos tamquam per priuatas personas, cùm ipso iure interposita appellatione, censeantur à iure inhibiti: in qua inhibitione solent inhiberi dicti Ecclesiastici, ne quem excommunicent, nec interdicant; hoc tamen dicitur in Concil. Trident. *cap.* 3. *Sessión.* 25. *de reformat. Nefas autem sit Sæculari cuilibet magistratui prohibere Iudici Ecclesiastico, ne quem excommunicet.* Ideò debent esse cauti dicti Locumtenentes Iustitiæ in prouisione dictarum firmarum contra Iudices Ecclesiasticos, contra quos ratione qualitatis violentiæ recurritur ad Iustitiam Aragonum, qui est Iudex violentiarum, Molin. *fol.* 202. *col.* 4. *in princip.* ne incidant in censuris Bullæ Cœnæ Domini, aduertant super prouisione dictarum inhibitionum ad ea, quæ notat Didacus Couarrub. *practic.* 35. de quibus inhibitionibus iurisfirmarum suo loco dicetur.

Item

XIX. Item eſt Iudex peculiaris, & ſine recurſu dicta Curia Iuſtitiæ Aragonum prouiſionum, Maniſeſtationum, tam ſcripturarum quam perſonarum à poſſe Iudicum. Proceſſus enim, & acta Iudiciaria maniſeſtari non poſſunt niſi per dictam Curiam, vt de omnibus in For. *Coſa es, de manifeſt. perſo.* Molin. *fol. 201. col. 3. in fin.* vt latê de hoc in materia maniſeſtationis.

XX. Item eſt Iudex peculiaris, & ſine recurſu in caſu, For. *de prohib. larg. pecun.* ſcilicet ſi agatur ſuper nullitate prouiſionis alicuius Officii Regii cum largitione pecuniæ; quôd prohibitum eſt de iure; *l. pen. C. ſi cert. pet.* vbi Doctores.

XXI. Item eſt Iudex peculiaris, & ſine recurſu in caſu, Fori *fin. de conſultat.* quandô in relatione conſultantis, vel proceſſu reſiſtentiæ prætenditur falſitas, quia de his ſolus Iuſtitia, ſeu Locumtenens cognoſcit, & quidem ſine recurſu per dictum Forum, Molin. *fol. 129. col. 1. in fin.*

XXII. Item etiam cognoſcit, & quidem ſine recurſu, in caſu For. *de probibit. Siſarum,* quandô ſcilicet agitur ſuper pœna incurſa propter impoſitionem ſiſarum, vel aliarum impoſitionum, quæ nullatenus niſi per Regem, & Curiam imponi poſſunt, licêt de iure imponi poterant per Dominum Regem, vt per Auendañ. *de exeq. mand. lib. 2. cap. 4.* & dicetur *inf. in priuil. gener.*

XXIII. Tandem in caſu For. 1. *de conſult.* ſtandum erit eius declarationi, ita quod appellari à dicta declaratione non poterit, niſi quando ante factam declarationem partes ſe oppoſuerint in proceſſu, & aliquid in facto allegauerint: quo caſu à declaratione prædicta poſſet appellari, vt dicitur ibi, ponit Molin. *fol. 17. col. 3. in fin.* Et in omnibus caſibus ſupradictis, in quibus non habetur recurſus, eſt dicendum, quôd ſicut non habetur recurſus à cauſa principali, ſic nec ab acceſſoriis, quia acceſſorium naturam ſequitur ſui principalis, vt in regula Iuris, ponit Molin. ibi. *dict. col. 3. in fin. fol. 17. & fol. 129. col. 1.* & ſic priuilegiata cauſa principali, erit priuilegiata cauſa expenſarum, Rebuff. 1. *tom. fol. 418. gloſſ. 7. per tot.* Sic etiam dicitur quod ſi cauſa principalis eſt ſummaria, & omnes eius articuli, Hippolit. *ſingul. 17.* Nec in prædictis caſibus, quibus dictus Iuſtitia eſt Iudex priuatiuê ad alios poteſt dari ſibi adiunctus, vt dicitur *in dict. Littera* Ioan. Ximenez Cerdan, ponit Molin. *verbo Adiunctus.*

XXIV. Item quædam ſunt cauſæ, quæ coram Iuſtitia ſeu eius Curia ſunt tractandæ neceſſariô in prima inſtantia; à ſententia tamen in ea lata poteſt haberi recurſus, & appellari ad Dominum Regem, & iſtæ ſunt cauſæ Fiſcales, in quibus dicta Curia Iuſtitiæ eſt Iudex peculiaris, & competẽtes: Obſeruan. *Item in Aragonia, interpreta. qualit. & in quib.* For. *De Procur. Fiſcal.* quod intelligitur ſiue Dominus Rex, ſiue Fiſcus agat ſiue conueniatur, verùm per viam oppoſitionis benê poſſet Fiſcus ſe opponere in cauſis, quæ alibi tractantur, Molin. *verbo Rex, verſic. Dominus Rex ſi litigat.* dictum eſt *ſupra in princip. huius quæſtionis.* Tamen à ſententia lata in dictis cauſis, in quibus agitur de intereſſe Domini Regis, poteſt haberi recurſus, & appellari ad Dominum Regem, qui iuxta Obſer. Regni delegabit Iudicem, Obſer. *Item de omnibus, de Priuileg. mil.* Molin. *fol. 294. col. 4.* & *fol. 18. col. 2. in princip.* facit in ſimili Bald. *conſil. 192. num. 2. vol. 2.* Licêt de ſcripta ratione poſſet Dominus Rex eſſe Iudex in cauſa propria. text. & ibi Doctores, *quæ ſint Regal.* Iſern. *in cap. quid ſit inueſtit.* Afflict. *deciſ. 265.* quôd tamen intelligit Marant. *cap. de appellat. num. 34.* vt nõ procedat ſi Dominus Rex habet cauſam cum non ſubdito, ſed ad id vide quos citat Carol. de Graſſal *Regal. Franciæ, lib. 1. iur. 20.* Menoch. *reſponſ. 2. num. 115.* De Foro tamen, vt dicitur in dict. Obſer. *Item de omnibus,* à dicta ſententia lata in dicta Curia appellabatur ad Dominum Regem qui Iudicem delegauit, facit Obſer. *penult. interpret. qualiter*; quæ obſeruantiæ ſunt intelligendæ circa dictam delegationem, niſi pars appellans velit, quod appellatio proſequatur coram Domino Rege, & ſic in eius Audientia prout fuit determinatum in cauſa de Aierbe, in qua primô Dominus Rex delegauit Commiſſarium à quo fuit facta electio, & recepta Iurisfirma in Curia Iuſtitiæ Aragonum. Item intelligitur obſeruantia reſpectu delegationis quando cauſa in prima inſtantia non poterat tractari in Regia Audientia, quia Dominus Rex agit, vel conuenitur principaliter; ſecus ſi Rex in cauſa introducta ſe opponit, quo caſu cum in cauſa introducta in Regia Audientia ſe potuiſſet opponere ſi illa cauſa eſt introducta in Curia Iuſtitiæ, in qua Dominus Rex ſe oppoſuit in appellatione à dicta ſententia; non eſt delegandus Iudex: ita fuit iudicatum ſuper Caſtellania Ampoſtæ anno 1559. 19. Auguſti in Regia Audientia.

XXV. Item omnia prædicta ſcilicet, quôd cauſa, in qua Dominus Rex agit, vel cõuenitur, eſt tractanda in Curia, & in appellatione ſit delegandus Iudex, ſunt intelligenda, quando agit vt Rex: ſecus ſi vt alius puta, vt Magiſter Calatrauæ. Ita fuit determinatum in proceſſu Magiſtri, & Conuentus de Calatraua ſuper apprehenſione Locorum de Calanda, & in proceſſu Appellitus Criminalis contra D. Gon-

Gonçalo Chacon ad instantiam Regis Castellæ, quia fuit appellitatum in Regia Audientia, propter raptum D. Luysæ de Castro à Palatio Madriti pro quo facit, *l. Seio, §. libertis, de annuis leg.* Bart. *in l. si hac, §. cum autem, ff. de in ius vocand.*

XXVI. Quædam etiam sunt causæ, quæ tractari possunt tam in Curia Iustitiæ Aragonum, quàm in Regia Audientia: & quidem tãtum in eis, vel altera earum, vt est causa Nobilium, & hoc in Criminalibus, & etiam in Ciuilibus, nisi ratione rei sitæ, recursus, vel recõuentionis, de quo latê per Glos. *in Obs. 2. & 3. de For. compet.* Molin. *verbo Nobiles, verbo Recursus, & verbo Reconuentio.* Isti ergo Nobiles sunt tantum de iurisdictione horum Magistratuum superiorum, vt dicit Cassanat. *tit. Des Iustices, verbo Droit. aiscelles, num.* 110. *versic. Item ex generali*, adeo, quod ipsi Nobiles, si vellent se submittere iurisdictioni inferiorum, non possunt, obseruantia *Item Nobilium, de Foro compet.* Nec id quod asserit Molin. *de reseruatis Domino Regi, versic. Domino Regi tantùm pertinet capere Nobilem*, debet intelligi, ita quôd præsidens in Regia Audientia, nec Iustitia Aragonum non possunt illum capere, sed debet intelligi respectu Iudicum inferiorum, vel veriùs detinere captum ad mercedem iuxta, *§. Item statuimus, de confirm. pacis*, quod hoc est de reseruatis Domino Regi: nam procedere ad captionem dictorum Nobilium, & cognoscere de causis Criminalibus illorum, hoc tam in Regia Audiẽtia, quàm in Curia Iustitiæ Aragonum fieri potest Molin. *verbo Nobiles*: immo & Iudex inferior ad finem remittendi, eos capere posset in fragrãtia, sicut dicitur de Clerico; Ratio, quia in actu fragranti etiam singularis potest capere, Bald. *in l. fin. C. de exhib. reis*, Molin. *verbo Fragrãtia, versic. fin. & verbo Capi potest criminosus:* Immô, videtur, quôd de eis posit coram inferioribus appellitari ad finem remittendi, argumento Obseruan. *pro parte militum Actus Curiarum*, vide Molin. *verbo Domini vassallorum in Aragonia*, facit For. *Quandocumque in fin. de appellit.* Denique de dictis Nobilibus potest etiam cognosci in dicta Curia Iustitiæ Aragonum, tam in Criminalibus (For. *Con color.* For. *Con calidades, de appellit.*) quàm in Ciuilibus, vt dictum est Molin. *dict. verb. Nobiles, versic. 5.*

XXVII. Quod dictum est de Nobilibus, idem statuitur in Dominis vassallorum, vt sint de iurisdictione Regiæ Audientiæ, vel Curiæ Iustitiæ Aragon. Obser. *Item Nobilium.* Obs. *Item si agatur 2. de For. compet.* Obser. *Sciendum de salua Infant. fac.* Molin. *verbo Domini vassallorum, versic.* 1. vbi & in Glos. dictarum Obs. constat idem dicendum de Dominis vassallorum, quôd de Nobilibus, nisi ratione pœnæ corporalis, in qua dicti Domini vassallorũ non sunt priuilegiati. Conueniri ergo debent coram magnis Iudicibus, prout de iure Carol. de Grassal. *Regal. Franc. lib. 1. iur. 12.* Fucher. *cap. 29.* Rebuff. *in concord. in Procem. verbo Summas, Priuileg.* 7. Cassaneus *vbi sup.* Quid de habentibus vassallos extra Regnum? Molin. ibi, & quid si vendat locum? Molin. *verbo Iustitia Aragonum est Iudex competens Dominorum*, & *in verbo Exceptio Fori declinatoria, versic. fin.* Idem, quod de Dominis vassallorũ, iudicandum est de Dominis Castrorum, dicta Obser. *Item si agatur*, & dict. Obs. *Sciendum*, & Obser. *Item nota quod vbi, de For. compet.* quæ ampliat etiam si plures sint participes Castri, & etiam si sit dirutum, Molin. *verbo Domini Locorum in Aragonia*, & *verbo Castrum*, Bages, *super dictis Obseruan.* de quo Castro loquitur Bar. *in l. 1. §. siue autem, de nouo oper. nun.* Iasion. *in l. si hæres, §. vicis. ff. de leg. 1. l. 2.* vbi Bar. *C. de feudes limitrophis*, Alberic. *in dictionar. verbo Castrum.*

XXVIII. Idem dicendum est de vniuersitatibus, quod subjiciantur tantûm, vel Regiæ Audientiæ, vel Curiæ Iustitiæ Aragonum, dict. Obser. *Item Nobilium*: sic etiam de iure magni Iudices, non pedanei debẽt vniuersitates iudicare, Innoc. *in cap. dilecti, de excusat. præl. in fin.* Bart. *in l. 1. de Colleg.* Sic in Gallia, Rebuf. *in concordant. in Procem. verbo Summas Priuileg.* 13. & hoc siue in Ciuilibus cum limitationibus supradictis ratione rei sitæ, recursus, & reconuentionis, Molin. *verbo Vniuersitas, versic.* 4. in Criminalibus indistinctê. Est tamen aduertendum, quod vniuersitas, non potest accusari, sed tantum Officiales illius Obser. *fin. de iniuriis*, ita quôd si vniuersitas committat delictum, quod per illam dicitur tunc committi, quando congregato legitimê consilio, deliberant esse perpetrandum delictum, & perpetratur, Bart. *in l. aut facta, §. fin. de pœnis*, quem allegat Molin. *verbo Vniuersitas, versic. 2.* vide Alber. Brun. *consil.* 28. Decium *consil. 221. num. 2.* Afflict. *decis.* 376. nam pro huiusmodi delicto non possunt accusari nisi Officiales dictæ vniuersitates: quod videtur absonum, quôd delinquentes qui sunt Consiliarii votantes, non puniantur, sed illi qui pœnam, non merentur cum non votent. Nam de iure congregati potissimum puniuntur, Bart. *in dict. l. aut facta, §. delinquunt. de pœn.* Brun. *dict. cons.* 28. Afflict. *in constit. Rubr. vt vniuersitas accusata fol. 192. num.* 1. Ruin. *consil. 97 num. 4. vol.* 5. Ideô pro declaratione obseruantiæ & potestatis dicti Iustitiæ contra dictam vniuersitatem, potest dici, quôd ipsi

Con-

Consiliarii votantes sint Officiales vniuersitatis, quia quodammodo officiantur, nam loco Decurionum successerunt secundum Bart. *in Rubr. de Decurion. lib.* 12. Roman. *consil.* 436. & ibi addit. Xuar. *alleg.* 12. Qui Decuriones Officium habere dicebantur, & quidem honorificum, Immol. *in l. Municeps, ff. de condit. & demonstr.* de materia Brun. *dict. consil.* 28. Qualiter dicta vniuersitas sit punienda, Iul. Clarus *commun. opin. verbo Vniuersitas*, Molin. *verbo Vniuersitas, versic.* 1. & *verbo Delictum, versic.* 4. Immol. *in cap. grauem in Consiliarios, de sentent. excommunicat.*

XXIX. Hoc tamen est aduertendum, quôd si appellitetur contra vniuersitatem, non possunt capi nisi nominati in appellitu, quia clausula complicum nō operatur, Molin. *verbo Appellitus Criminalis contra vniuersitatē.* Secus, si Ciuiliter appellitetur, Molin. *verbo Appellitus, versic. penult. & fin.* & *verbo Vniuersitas, versic. Pro Vniuersitatis debito.* Ita quòd vniuersitas est de iurisdictione Iustitiæ, etiam si sit Aljama, Obser. 2. *De Foro compet.* & etiam si sit vniuersitas loci, qui non sit Domini Regis, licèt Bages in Obser. *Item iurati*, videatur sentire, quôd iste sunt tātùm Iustitiæ: tamen expresio dicti Iustitiæ non est ad exclusionem Domini Regis, Molin. *verbo Apprehensio, versic. Apprehendi an possint loca Baronum.* Similiter est Iudex ad protegēdum vniuersitates in suo iure statuendi, & vt statuta per vniuersitates seruentur, Molin. *fol.* 205. *col.* 1.

XXX. Idem dicendum de Officialibus delinquentibus vt priuatæ personæ, quia ratione qualitatis Officii sunt accusandi in Regia Audientia, vel Curia Iustitiæ Aragonum, For. *Con color*, & For. *Con calidades, de appelli.* & sic aliud statuitur, quando delinquit vt Officialis, quia tunc solùm coram Iustitia accusari potest, vt dictum est; & aliud quando, vt priuatus, quia tunc in vtraque Audientia potest accusari. Quæ distinctio consideratur de iure, nam de iure, si vt Officialis delinquit, cōuenitur coram vno; si vt priuatus coram alio, Paul. *in l. fin. C. de iurisdict. omn. iudic.* Iasson *in l. qui iurisdictioni, num.* 9. *versic.* 8. *fallit, ff. eod.* Cassan. *in tit. Des Iustices, versic. La emēde reconse.* §. 7. *num.* 35. & sic non est vera determinatio, Molin. *in verbo Officialis, versic. fin.* quia directo est contra dicta iura. For. *Con color*, & For. *Con calidades*, & facit Obser. *de consuetudine, de Foro compet.* Hæc in Criminalibus, secùs in Ciuilibus, quia in his non habita consideratione qualitatis Officialis conueniendus erit vbi sine qualitate conueniri potest, nisi de debito ageretur Criminaliter ad captionem, quia capi non debet nisi ex prouisione Regiæ Audientiæ, vel Curiæ Iustitiæ Aragonum: & ita Consultus respondi Iustitiæ Iaccæ, coram quo fuit pro debito appellitatum de el Lugar-Teniente del Iusticia de Palo Largo, ne procederet ad captionem illius: cuius opinionis fuit etiam Aduocatus Fiscalis.

XXXI. Item ratione mixturæ singulares si delinquant cum Officiali, vel vniuersitate possunt conueniri, vbi vniuersitas, & Officiales accusantur, si in eodem processu; secus si in alio. Idem si delinquat associando militem, & Infançonem, qui accusatur in Regia Audientia, vel Curia Iustitiæ Aragonum, quia si in eodem processu, & non deliquerit æquê principaliter, sed vt associatus, quia similiter ratione dictæ mixturæ erit de iurisdictione dicti Iustitiæ, prout de his omnibus in Obser. *de consuetudine*, vbi Bages *de Foro compet.* Molin. *fol.* 102. *col.* 4. *in princip.* Quid tamen de iure operetur mixtura? vidend. *l. si communem quemadm. ser. amit.* Barb. *in Rubr. de Offic. del.* Bar. *in l. præcipimus, C. de appellat.* Natta *in repet. cap. quamvis pactum*, Felin. *in cap.* 1. *de præscript.* & *cap. quam sit, de Iudæis*, Socin. *in cap. fin. de mutuis pet. & consil.* 12. Hippol. *singul.* 180. Barb. *in cap.* 1. *de Foro competent.* Tandem fuit determinatum anno 1535. in mense Iunii per Episcopum Cassanat, in quadam competentia, quôd Laicus non gaudebat ratione mixturæ priuilegio Clericali; pro qua determinatione videndus Couarruu. *pract.* 34. in Ciuilibus non est in consideratione mixturæ: de his omnibus Molin. *verbo Iustitia Aragonum se intromittit, versic. Iustitia Aragonū cognoscit.*

XXXII. Item etiam milites, & Infantiones habitantes in locis Dominorum in Criminalibus sunt accusandi in Regia Audientia, vel Curia Iustitiæ Aragonum, Obser. *in causis, de Foro compet.* Obser. *pro parte militum, actus Curiarum.* Obser. *Item in omnibus causis de salua Infant. fac.* faciunt dict. For. *Con color*, & *Con qualidades, de appellit.* Molin. *verbo Infançones, de Infançon. habit. in loc. domi. versic.* 2. quod intelligitur, nisi delinquant in locis regalibus, quia, si ibi capiantur, ibi possunt accusari instante parte, & licêt non capiantur instante procuratore astricto, iuxta For. *de proc. astrict.* ex quo ibi sortiuntur Forum ratione delicti, de quo in *cap. fin. de Foro compet.* facit Obser. *Item nota quòd si aliquis, de Foro compet.* & sic sicut milites, & Infantiones habitantes in locis regalibus sortiuntur ibi Forum in Ciuilibus, & Criminalibus, sic Infantiones habitantes in locis Dominorum si contrahant, vel delinquant in locis regalibus poterunt ibi conueniri, si ibi reperiantur, quia eo

casu sortiuntur Forum ratione contractus, vel delicti, vt notatur in *dict. cap. fin.* speciale est in procuratore Astricto, quòd accuset, licêt ibi non reperiantur; possunt tamen dicti milites, & Infantiones habitantes in locis Dominorum appellitari ibi, ad finem remittendi ad Regiam Audientiam, vel Curiam Iustitiæ, quæ remisio fieri debet intra vnum diē, dict. Obser. *pro parte militum*, *actus Curiarum*, Molin. *dict. versic.* 2. & de tempore faciendi remissionem in Foro *Quandocumque in fin. de appellit.* Molin. *verbo Remission. versic. Remittere non potest.* In Ciuilibus, si Dominus loci habet iurisdictionem; sunt milites, & Infantiones de iurisdictione illius; si verò non habet iurisdictionem, sunt conueniendi, vbi debent accusari Molin. *dict. versic.* 2. per Obser. *Milites, de Foro compet.* vbi Bages, pro quo etiam facit Obser. *in causis, eod. tit.* Nec non ratione delictorum, datur potestas cognoscendi in Regia Audientia & Curia Domini Iustitiæ Aragonum, licêt etiam ratione eorundem possint coram ordinariis accusari in delictis fractionis apprehensionis emparæ, & treguæ, seu induciarum, & pacis For. *Con color*, & For. *Con validades, de appelli.* ponit Molin. de singulis, *in verbo Fractor apprehensionis fractor. emparamenti fractor pacis, & treguæ*, de quo Foro *De las treguas*, quando dicatur inducta fractio, sunt videnda posita ad Molin. *in dictis verbis.* Ad vnum tamen est aduertēdum, quòd qualitas, quæ tribuit iurisdictionem differt à qualitate; quæ facit partem legitimam ad accusandam, nam regula de qua in *l. non ignorat, C. qui accus. non pos.* quòd non admittitur quis vt talis, nisi probet se talem, procedit in Aragonia parte opponente, Molin. *verbo Qualitas, versic.* 2. per Foro *de exempt.* & For. *Si quis pignoratus, de fideiussor.* Ita quòd qualitas, quæ facit partem legitimam habetur pro probata, donec negetur; quando negatur per negationem efficitur res dubia, Bald. *in cap. fin. de probat.* Molin. *verbo Negatiua, versic. Per negationem.* Secus est in qualitate tribuēte iurisdictionem, quia illa debet probari necessariô, Aretin. *in cap. cæterum*, 2. *notat. de iudic.* Felin. *in cap. quoniam contra, num.* 3. *de probat.* Auendañ. *de exeq. ... mand. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 8. pro quo facit dict. For. *Con calidades*, licêt Molin. *dict. verbo Qualitas, versic. fin.* afferat, quo ad dictum Iustitiam Aragonum, sufficere allegationem qualitatis (prout in dies videmus in qualitate violentiæ, quia est Iudex violentiarum, nam sola illius allegatio sufficit) potest esse ratio quia est Iudex non declinantium & sic quòd sufficiat sola allegatio, donec inficietur.

XXXIII. Delictum resistentiæ similiter per dictum Forum *Con color*, & For. *Con qualidades*, eius est naturæ, cuius est fractio emparæ apprehensionis, & pacis, ita quòd si quis de ea accusetur in Regia Audientia, vel Curia Iustitiæ Aragonum, non potest Forum declinare, *Molin. verbo Resistentia, versic. de Resistētia si quis.* In hoc tamen est aduertendum, quòd si de ea fit accusatio ad instantiam Fisci, vel agatur iuxta For. *Verum, de consul.* ad appositionem peidonum, non potest agi, nisi in Curia Iustitiæ Aragonum, de quo per Molin. *dicto verbo Resistentia.* Et similiter in casu Fori *De guerreantibus in Crimin.* Si seruitor, vel Comensalis alicuius Domini temporalis, qui damnificauit comensalem alterius Domini, tenetur talis Dominus dictum delinquentem exhibere Domino Regi, Primogenito, vel Iustitiæ, & in non exhibendo, & resistendo in præmissis potest accusari in Regia Audientia, vel Curia Iustitiæ Aragonum per dictum Forum pro cuius declaratione est videndus, Molin. *verbo Domini vassallorum, versic. Domini locorum, & vassallorum.* Præterea, quando super solutione Peitæ est quæstio inter singularem, & Concilium, poterit, attenta suspicione, quæ potest oriri, contra Iudicem vniuersitatis, si velit singularis, agere in Regia Audientia, vel Curia Iustitiæ Aragonum, Obser. *Item si agatur* 3. *de Foro compet.* vbi Bages allegans in simili, Obser. *Item aduertatio. de salua Infantio. faci.* Molin. *verbo Peita. versic. Pro peita si aliquis conuenitur.* Nec non, quando extrà casum Fori de exiliis quis fuerit à Regno extractus, poterit extrahens accusari, si est Officialis, vt Officialis delinquens in Curia Iustitiæ; si singularis, vel in Regia Audientia, vel dicta Curia Iustitiæ Aragonum, For. *Vt nullus, cap. extra. à Regn.* nam si causæ non possunt extrahi, vt dicetur *infra in Priuileg. general.* multò minus persona, vt ibi: Et licêt dictus Forus ponat formam procedendi in dicta accusatione, seruatur tamen forma Fori *De modo, & forma anni* 1510. & poterit fieri accusatio ad instantiam cuiuslibet, Molin. *verbo Captus, versic.* 2. *& in verbo Extra Regnum.*

XXXIV. Et etiam poterunt in Regia Audientia, vel Curia Iustitiæ Aragonum accusari Officiales, & aliæ personæ extraneæ à Regno, quæ, causa damnificandi & extrahendi à Regno personas, & bona sub prætextu de fometent, vel alia ratione, ingressi fuissent Regnum, iuxta For. 2. *de general. Priuileg. tot. Regn.* vbi ponitur forma procedendi, sed seruatur For. *de modo, & For.* 1510. & *in dicto For.* 2. ponuntur, qui possunt accusare, & etiam coram ordinario loci vbi fit damnum, Molino, *verbo Extraneus, versic. fin.* & *in ver-*

verbo Diputati Regni, vnà cum *Iustitia*, vbi si Officialis delinquat in præmissis accusatur coram Iustitia, per dict. For. 2. *de gener. Priuileg.* per quem Forum possunt à dicto Iustitia, & Diputatis conueniri gentes Regni, pro expulsione dictorum exterorum, & punitione illorum.

XXXV. Similiter etiam capientes, & ducentes, seu detinentes homines ad finem ducendi eos ad galerias, seu triremes accusari poterunt in Regia Audientia, seu Curia Iustitiæ Aragonum, For. *de homini. pro seruit. gal. non cap.* licèt hodie certis casibus id fieri potest, iuxta Foros anni 1564. quando committatur pœna mortis, vel quando est latro marcatus: quæ accusatio locum habet, etiam si hi, qui extrahuntur non sint Regnicolæ, quòd secus est in casibus præcedentibus, Molino *verbo Captus*, *versic.* 2.

XXXVI. Item, desuas sallantes, seu iuuantes vassallos ad recedendum à loco Domini sui, seque constituendum vassallos alterius, possunt de prædicto crimine accusari in Regia Audientia, vel Curia Iustitiæ Aragonum, iuxta For. *de raptu vassall.* iuncto For. *Quòd aliquis non abstract.* in quo Foro ponitur Forus præcedens, sed seruatur Forus 1510. vt dictum est, licèt ægrè ferat Molin. *in verbo Vassallus*, *versic. Vassallum si aliquis*, *& seq.* de pœna dictorum desuassallantium, ponitur in dictis Foris, & in Obseru. 2. *de iudi.* Similis lex est Neapoli. Paris. de Puteo, *titul. de exces. varo.* & an dicti vassalli possint compelli redire, vide notata in dict. Obseru. & de materia Bald. *consil.* 133. *volum.* 5. & si ista prohibitio extractionis potest impedire libertatem contrahendi matrimonium: super quo fuit formata competentia, & declarata in fauorem Ecclesiæ & matrimonii, 19. Aprilis 1560. in processu Don Francisci de Mendoça contra Lupum Ximenez. Ac etiam vassalli, qui præstito iuramento fidelitatis & homagii, se erexerint in publicam rebellionem contra Dominum, taliter, quòd stamentum totius loci, vel maioris partis illius rebellatur contra Dominum, poterit eos Dominus accusare in Regia Audientia, vel Curia Iustitiæ Aragonum, iuxta For. *de pœnis vassall. rebel.* Molino *verbo Pœna*, & *verbo Vassallus si post præstitum*: de qua materia vide Brun. *cons.* 28. Nec non Notarii non seruantes, in testificatione instrumentorum, formam traditam à For. *Forma para testificar* (nam per illum Forum possunt accusari in Regia Audientia, & Curia Iustitiæ Aragonum, sicut etiam per For. *pen. & fin. de Crim. falsi*) possunt de dicto Crimine accusari dicti tabelliones, tàm in Regia Audientia, & Curia Iustitiæ Aragonum, quàm etiam coram ordinariis locorum, Molino *verbo Falsitas*, & *verbo Exceptio falsitatis*, & *verbo Exceptio contra instrumentum*, etiam si Notarius sit Turolensis, si extra Turolium falsificauit, Molin. *fol.* 205. *col.* 1.

XXXVII. Censualia etiam sententiari possunt in Regia Audientia, vel Curia Iustitiæ Aragonum, cum Procuratore contractus, iuxta Forum *de Censual. & aliis deb. statim in principio*: de qua sententia, quæ dicitur lata ad modum serraniæ, loquitur Molina *in verbo Sententia lata ad modum*, & *in verbo Procurator contractus*; qui procurator contractus dicitur irreuocabilis, cùm sit pars contractus, de quo loquitur Octauian. *in pract. fol.* 159. Rebuf. 1. *tom. pag.* 57. *num.* 21. *cum sequent.* Idem dicendum de censualibus veteribus Iudæorum, & Sarracenorum, per For. *actus super censua.* Idem iudicandum de censualibus veteribus ante Forum Turolli, per For. *actus in fauo. censua.* cum per dictos Foros æquiparentur in omnibus & per omnia, de dicto modo sententiandi ad modum serraniæ, ponit *in methodo*, Ferrer. vide Bald. *in l. malè agitur*, *C. de præ.* 30. *vel.* 40. *annorum.*

XXXVIII. Albarana mercatorum scripta, vel subscripta ab eis similiter exequuntur per Regiam Audientiam vel Curiam Iustitiæ Aragonum, vt dicitur in For. *de los Albaranes*, qui Forus non procederet, si non essent scripta, vel firmata ab illis, per ea, quæ dicunt Roma. & Immol. *in l. nuda*, *versic. Tertio in quantum*, *ff. de donat.* Idem dicendum de cedulis per eos acceptatis, si non soluantur intra tempus, vt dicitur in For. *de cedulis mercat.* de quibus Albaranis, & cedulis ponit plura Rebuf. 1. *tom. pag.* 182. & 188. Auendaño *lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 2. Didac. Couarrub. *practic.* 22. & notantur plura super dictis Foris.

XXXIX. Item à Regia Audientia & Curia Iustitiæ Aragonum extrahuntur litteræ, iuxta For. *Como cerca la punicion*, *de homicid.* ad capiendum condemnatos, ad finem remittendi eos ad iudicem, qui eos condemnauit. Idem statuitur in For. *de rap. mul.* de quibus litteris plura notantur in processu criminali circa executionem sententiæ. Nec non in Regia Audientia, & Curia Iustitiæ Aragonum, ac etiam ab ordinariis prouideri solent appellitus apprehensionis, quorumcumque bonorum sedentium, intra Regnum existentium, & hoc propter qualitatem violentiæ, cùm Dominus Rex sit Iudex violentiarum, *cap. Regum* 80. *dist.* Couarr. *pract.* 25. *num.* 2. Idem de Iustitia Aragonum, quòd sit

sit Iudex violentiarum, vt dicit Molino *verbo Iustitia*, quæ qualitas est necessario in libello exprimenda, aliàs non posset prouideri, Molino *verbo Appellitus apprehensionis, versic.3.* ne dentur duo specialia, quæ non possunt concurrere, *l.1.C.de dotis promiss.* Qualitas tribuens iurisdictionem non solùm debet allegari, sed probari, vt dictum est, concurrit hoc speciale in hoc casu, quôd non probatur dicta qualitas violentiæ necessariô, ergo est alleganda, vt prouideri possit appellitus in aliis processibus sublata violentia, si opponatur Fori declinatoria, videtur, quôd sit facienda remissio, Molin. *fol.103.col.1.*

XL. Emparamenta similiter fieri valent in Regia Audientia, & manifestationes bonorum, & in Curia Iustitiæ Aragonum, si vnus vel emparans, vel cuius bona emparantur, vel is, in cuius posse sit empara, sit de iurisdictione dicti Iustitiæ, de quo Molino *verbo Emparamentum, versic.2.* & *in verbo Iustitia*. Est enim emparamentum seu testatio, quædam inhibitio, sunt enim plura verba sinonima idem importantia, de quibus in *l.non solum, §.morte de no.ope.nun.* Bald. *in l.si fideiussor.§.fin.qui satis. cog.* ponit tres terminos legales, scilicêt Sequestratio, quæ est apprehensio, & Descriptio, quæ est inuentariatio, seu manifestatio, & Inhibitio, quæ est ipsa testatio, seu emparamentum: quæ prouisio emparamenti de iure fieri non valet, nisi de iure emparantis constet, vt per Rebuf. *1.tom.pag.144.* vbi latê de materia emparamentorum. De Foro solùm requiritur informatio in casu For.1.& For. *quando bona*, & For. *sequen.de empar.* De dicta materia videndus Ias. *in dict.§.morte, colum.8.* Angel. & Alexand *in l.cum hæres ad Trebel.* Idem Ias. *in dict.l.si fideiussor.§.fin.*

LXI. Contra depositarios Curiæ suæ non alienæ ciuiliter agi poterit in Curia Iustitiæ Aragonum, tam in viam Fori, quàm iuris, vt latê per Molino *verbo Iustitia, fol.201.colum.4.& sequent.*

LXII. Albarraneus similiter iudicari poterit in Regia Audientia, & in Curia Iustitiæ Aragonum, For. *Con color*, & For. *Con qualidades*, & etiam coram ordinariis, Molino *verbo Albarraneus, & fol.103. col.2.* Cuius termini ponitur declaratio in For.2. *De Foro compet.* de iure verô cuius sit iurisdictionis ponit Corset. *in repert. verbo Fori, versic.37.& in verbo Vagamundus.* Et contra fractores guidatici & assecuramenti per Diputatos dati, & derobantes merces procedi potest in Regia Audientia, & Curia Iustitiæ Aragonum, iuxta For.1 *de offic. Diputatorum.* Et contra Diputatos, negligentes accusare Officiales non seruantes Foros de modo & forma, potest procedi in Regia Audientia, & Curia Iustitiæ Aragonum, iuxta For. *de accusatione contra Officiales.* Quod videtur mirum, quôd Diputati, cum accusantur, vt Officiales delinquentes in suis Officiis, accusari possint in Regia Audientia.

LXIII. Similiter agi poterit in Regia Audientia, & Curia Iustitiæ Aragonum contra impedientes cursum monetæ ad incursum pœnæ, iuxta For.de cursu monetæ: graue damnum est impedire cursum monetæ Aragonensis quæ est moneta Iaccensis, For. *de confirm.monet.& de secun. confir.* fuit dubitatum, an contractus, in quo agitur de moneta, valeat, si exprimatur alia moneta, quàm Iaccensis? Molino *verbo Firma, versic.25. Maii, & in verbo Moneta.* De iure, licet non apponatur nomen cursus monetæ, intelligitur de bona, Glos. *in l.lecta.* & ibi Bar. *col.1. si cert.pet.* & quam monetam, compellatur, quis recipere, Rebuf. *1.tom. pag.125.* & an vnam pro alia possit quis compelli ad recipiendum, Bart. *in l.Paulus, ff. de solut.* & de materia monetarum, Curtius *de monetis*, Didac. Couarrub. *in tract.numismatum, in fine pract.quæst.*

XLIV. Poterit etiam agi in Regia Audientia, & Curia Iustitiæ Aragonum in causa vsurarum, iuxta For. *Deseantes, de vsuris*, proceditur iuxta For. *de modo, & forma proc.* Verumtamen est, quôd sententia lata super dicto delicto vsurarum non mandabitur executioni, non obstante appellatione, vel electione iurisfirmæ, ex quo, licêt procedatur iuxta dictum Forum *de modo & forma proc.* executio non erit priuilegiata, ponit Molino *verbo Vsura.* Ac etiam in causis exemptorum agi poterit in Curia Iustitiæ Aragonum, vt refert Molino *verbo Iustitia fol.202. col.3.in fine*, vide eum *fol.204.colum.2.* Nec non & in Regia Audientia, ex his, quæ notat Bellug. *in specul.titul.de propos.graua.§.videndum, num.12.cum sequenti*, Azpilcueta *in cap. cum contingat, de rescript. remed.1. colum.152.* Idem in Francia, vt per Petrum Rebuf. *in concord.titul.de causis, versic.Ideò infertur, fol.645.*

XLV. Item de causis Infantionum agi poterit in Regia Audientia, & Curia Iustitiæ Aragonum, si per possessionem cum commissione, quæ soli Iustitiæ fieri potest, si per gradus sine ea, de qua per Molino *verbo Infançones*, & verbo *Iustitia, fol.202. colum.3.* Et sicut portarii, virgarii, & alii executores subjiciuntur Regiæ Audientiæ, & Curiæ Iusti-

ſtitiæ Aragonum, vnde emanant executiones, vt dicitur in For. *de la ſummiſs.on de Porteros*; ſic etiam erunt Iudices ſuper expenſis contra inſtantes executionem, Molin. *fol.* 103.*col.*2.*in princip.* & ſuper quacumque quæſtione, quæ, ex prouiſion orta à Regia Audientia, vel Curia Iuſtitiæ Aragonum emanauerit, Molin. *fol.* 203.*col.*3.*in princip.* & contra depoſitarios dictarum Curiarum reſpectiuê cuiuſcumque ſint qualitatis, Molin. *fol.* 203.*col.*4. Ac etiam in Regia Audientia, & Curia Iuſtitiæ Aragonum compelli poſſunt ſingulares ad aſſecurandum, iuxta Obſer. *de conſuetudine Regni, de cita.* Molin. *fol.* 203. *column.*4. Cognoſcit inſuper dicta Curia de remiſsione criminoſi aufugientis à carcere ad Iudicem, à quo captus detinebatur, Obſer. *antepen. de Foro compet.* Molin. *fol.* 204.*col.*4.*in fine.*

XLVI. Tandem ratione ſummiſsionis, poteſt cognoſci de cauſis in Regia Audientia & Curia Iuſtitiæ Aragonum, & quidem in dicta Curia poteſt dicta ſummiſsio conſiderari expreſsê & tacitê, cùm ſit Iudex non declinantium, Molin. *verbo Iuſtitia, fol.* 203. *column.*3. de qua in Obſer. *Si quis ſe obliget. de Foro compet.* Bages *in Obſeru.*2: *eod. tit.* Quæ tamen ſummiſsio non prodeſt in inſtrumentis minoris ſummæ ducentorum ſolidorum, quia executiones in dictis inſtrumentis, niſi ſint cenſualia, aut tributa, fieri non valent niſi per ordinarios: olim vſque ad centum ſolidos, For. 2. *de Offic. ordin.* hodie per For. 1563. vſque ad ducentos ſolidos. Et tandem ſicut Regia Audientia, & alii Iudices & Officiales compellunt ad aſſecurandum ſic, & Curia dicti Iuſtitiæ Aragonum compellere poterit quoſcumque ad aſſecurandum, iuxta Obſer. *de conſuetudine Regni, de cita.* Molin. *verbo Iuſtitia, fol.* 203.*col.*4.

LXVII. Quædam etiam ſunt cauſæ, quæ tractari non poſſunt in prima inſtantia in dicta Curia Iuſtitiæ Aragonum, ſed tantùm in ſecunda inſtantia, vel vlteriori, & hoc propter regulam Foralem, quòd nemo ſit extrahendus à ſuo Iudice locali, For. 3. *de Foro compet. in declarat. Priuileg.* §. *Item, que como,* & in For. *Cum ſecundum, de Iudic.* Molin. *verbo Iudex Ordinarius, verſic. à Iudice Ordinario,* & *in verbo Actor, & Reus, verſic. Reus quilibet,* vbi ponitur regula cum limitationibus ſupra poſitis. Regula igitur hæc eſt, quòd quiſque coram Iudice ſui domicilii eſt conueniendus, nam vt dicit Felin. *in cap. fin. num.* 23. *de Foro compet.* Forus domicilii eſt præcipuus, generalis, & ordinarius, ideò deſtinandi ſunt Iudices per Dominum Regem in ſingulis locis, vt per Couarr. *pract.*4.*num.*3. ne domiciliati trahantur extra, adeo quòd, ſi in præmiſsis eſſet Dominus Rex negligens, poſſet vniuerſitas magiſtratum conſtituere pro tempore negligentiæ, vt ibi per eum: de qua regula Iudicis domicilii ponit plura Spec. *tit. de compet. iud. ordi. docto. in Rub. & n. g. C. ſi a non comp. Iud.* & *in auth. vt differ. iud. coll. q.* notatur in *l. hæres abſens, de iudi.* Maran. *de ord. iud.* 4.*part. in diſtinct.* quòd Iudicium aliud competens, aliud incompetens, Socin. *in regul.* 10. vbi ponit plures limitationes. Ex qua regula benê ſequitur, quòd præter caſus ſupra expreſſos, in quibus ex Foralibus diſpoſitionibus poſſunt extrahi à ſuis Iudicibus localibus quòd in reliquis cauſis agendum erit in vim dictæ regulæ coram ordinariis in prima inſtantia, & conſequenter de eis agi non poterit in dicta Curia Iuſtitiæ Aragonum, nec etiam in Regia Audientia, præter quam per viam euocationis perorrecentiæ, vt dicitur in *declar. Priuil. gener.* §. *Item, que como ſegun Fuero,* & *in illius reſponſione,* & in For. 1. *de commiſ. & reſ.* Quæ euocatio fieri non poteſt per Curiam Iuſtitiæ Aragonum, quia eſt de reſeruatis Domino Regi & Primogenito, adeò quod nec per Regentem Officium Gubernationis, licêt præſideat in Regia Audientia, fieri valet, vt latê per Molin. *verbo Euocatio.* Poterit tamen de dictis cauſis cognoſci in ſecunda vel tertia inſtantia in dicta Curia Iuſtitiæ, niſi eſſent tales quod à ſententiis illarum non poſsit appellari, nec haberi recurſus, vt in cauſis criminalibus, niſi in caſu, quo fieret condemnatio ad mortem, vel membri mutilationem Quo caſu ſecundum Foros de anno 1563. poteſt appellari ad Regiam Audientiam tantùm. Ita quòd in dictis cauſis criminalibus non poteſt dicta Curia Iuſtitiæ Aragonum, ſe intromittere niſi per viam manifeſtationis perſonarum, ad effectum liberandi captum à captione, ex cauſis contentis in Foro *Coſa es muy neceſſaria, de manifeſt. perſ.* & in For. *de primo & ſecund. accuſ.* & in For. *E porque, de proc. aſtric.* & per viam iurisfirmæ grauaminum fiendorum, ad effectum ne executio ſententiæ fiat, ſi prætendatur nullitas proceſſus, vel ex alia iuſta cauſa extrinſecus accedente. Denique ſuper ritu tantùm non ſuper recto cauſarum criminalium, niſi in caſibus ſupra ſpecificatis, ſe poteſt intromittere dicta Curia Iuſtitiæ Aragonum.

LXVIII. De cauſis igitur, de quibus regulariter poteſt haberi recurſus, poterit in dicta Curia Iuſtitiæ Aragonum cognoſci in ſecunda vel tertia inſtantia, informando, reformando, vel confirmando ſententias iudicum, à quibus For. *penult. iſto titul.* Molin.

*fol.*20.*columm.*4.hoc videlicet modô,quôd si à sententiis ordinariorum appelletur,poterit appellari ad dictam Curiam,vel etiam adRegiam Audientiam;& si ad Regiam Audientiam fuerit appellatum, ab ea poterit fieri electio iurisfirmæ grauaminum factorum ad dictam Curiam Iustitiæ,& isto casu cognoscet in tertia instantia; si verô appelletur ad dictam Curiam à sententia ordinarii, tunc dicetur cognoscere in secunda instantia; vel quando à dicta sententia ordinarii non appellatur,sed fit electio iurisfirmæ,tunc dicta Curia dicetur cognoscere in secunda instantia:est tamen differentia,quôd si dicta Curia cognoscit per viam appellationis, poterit à sententia lata in dicta Curia iterum haberi recursus per viam appellationis ad Regiam Audientiam,quæ tunc dicetur cognoscere in tertia instantia:tamen si ad dictam Curiam Iustitiæ fuit habitus recursus à sententia ordinarii per viam electionis iurisfirmæ grauaminum factorum, tunc necessario causa est terminanda in dicta Curia, ex quo solus Iustitia est Iudex grauaminum factorum: nam licêt à sententia lata super receptione, vel repulsione firmæ grauaminum fiendorum possit appellari,nôn tamen à sententia super firma grauaminum factorum, Molin. *fol.*19. *columm.*4. *in princip.* De causis vero introductis in Regia Audientia,quæ non sunt de reseruatis,vt dicitur,& sint de quibus potest haberi recursus in eis, poterit haberi recursus per viam electionis iurisfirmæ grauaminum factorum, ad dictam Curiam Iustitiæ Aragonum, demptis dictis causis criminalibus,de quibus dicendum est vt supra proximê. Ac etiam à nimia taxatione expensarum facta per Iudicem delegatum haberi poterit recursus ad Iustitiam Aragonum, qui de dicto excessu poterit cognoscere, vt in *declarat. Priuileg.*§.*A este*:quem allegat ad id Molin. *verbo Iustitia,fol.*200.*col.*4.*in fine.*

XLIX. Potest dicta Curia insuper cognoscere super causa,de qua iam cognouerat, & fuit habitus recursus ad Regiam Audientiam, vt iterum per viam electionis iurisfirmæ cognoscat super grauaminibus illatis per Regiam Audientiam,super ritu dicti processus appellationis in dicta Regia Audientia actitati,non super recto, nec quoad rectum,censetur prorogata iurisdictio,licêt taceant partes,Molin. *verbo Iustitia,fol.*204.*col.*1. Hæc omnia sunt notoria, & frequenti vsu recepta, de quibus per Molin. *verbo Appellatio.* & *verbo Firma,*& *verbo Iustitia Aragonum.*

L. Tandem sunt quædam causæ,quæ nec in prima nec vlteriori instantia tractari valent in dicta Curia Iustitiæ Aragonum, vt sunt causæ Domino nostro Regi reseruatæ,de quibus in Obser.*nota quod tres, de For.competent.* & de aliis multis,quæ sunt Domino Regi reseruatæ ponit Molin. *fol* 295. Istæ siquidem causæ vel sunt tractandæ in Regia Audientia,præsidente in ea Domino Rege, vel eius Locumtenente generali;vel sunt tractandæ ab eo,cui dictæ causæ sint demandatæ à Domino Rege,vel eius Locumtenenti generali,qui potest prædicta Principi reseruata committere in vim verborum suæ comisionis,ad not.*in cap.quod translationem, de Offic.leg.* Bellug.*in specul.tit.de potest. Locumtenent. generalis.* Et sic in prima instantia erunt dictæ causæ tractandæ per supradictos; in secunda vero instantia tractari debent similiter per Iudicem delegatum, ab eodem Domino Rege. Sic factum fuit in causa super diuisione terminorum de Ricla & de la Almunia;nam in prima instantia fuit Ioanni de Luna Iurisperito commissa;in secunda Regenti Officium Gubernat. Alia causa fuit inter easdem vniuersitates mihi commissa, & à me fuit appellatum ad Regiam Audientiam Præsidente in ea Archiepiscopo Cæsaraugustano Locumtenenti generali D.Don Ferdinando ab Aragonia:& ita videtur concludere Molin. *verbo Appellatio. fol.*19. *in fin. & princ. seq.* vbi sentire videtur,quôd licêt respectu recti non possit haberi recursus de causis Domino Regi reseruatis ad Curiam Iustitiæ Aragonum, poterit tamen haberi recursus ad illam respectu ritus.

LI. Circa sextam quæstionem qualiter in his,quæ ad eius Officium pertinent iurisdictionem exercebit dictus Iustitia, & eius Locumtenentes,quia omnia,quæ circa hanc quæstionem considerari valent notoria sunt, de quibus sunt plures Fori, in quibus latius agetur:pro eorum aditu dicuntur sequentia. Aut sumus in causis, quæ in Curia generali tractantur,in quibus dictus Iustitia est Iudex competens,& in illis procedet,& iurisdictionem exercebit dictus Iustitia in propria persona;& si est causa inter Dominum Regem & Richos homines cum consilio Richorum; si inter ipsos vassallos cum consilio Domini Regis & aliorum de Curia exclusis illis,qui sunt de partida,vt latê declarat Molin. *verbo Iustitia,de iurisdictione ordinaria illius,fol.*202. & si causa se obtulisset,foret procedendum summariê,quia coràm Principe summariê, & sola facti veritate attenta est agendum, Bald. *in cap.*1.§.*inuestitura, col.fin. de noua forma fidel.* Bart. *in l.Æmilius , col.fin. de minor.* Marant. *fol.*86.*num.*8. In causa,quam Sebastianus de Arbas duxit in dicta Curia, se obtulerunt plures quæstiones super eo, si causa erat

erat prosequibilis in Curia,& si valet tantum votum Domini Regis, quantum cæterorum, & alia,de quibus fortè suo loco dicetur. Aut sumus in causis,quæ extra dictas Curias generales,in sua Curia agitantur, & in his sunt quædam,quæ necessariô sunt expediendæ in propria persona,vt in casu For.3. *Isto titul.* in accusatione eius Locumtenent. Notariorum,& Virgariorum, & vt sunt prouisiones manifestationis personarum,quæ si ab eo petantur,sunt per illum necessariô prouidendæ. Item prouisiones Iurisfirmarum ad impediendam captionem,si in loco,quo petuntur, non sit Locumtenens ipsius,nam eo casu potest compelli,& tenetur ad prouisionem illarum,de quo Molin. *verbo Iustitia*, *fol.*204. *col.*4. Tenetur insuper in propria persona dare votum in causis suspitionum Locumtenentium ipsius,vt dicitur in For. *De el reparo* 1528. Cætera,quæ concernunt prouisiones,celebrare Curiam, resident in eius arbitrio. Quo verô ad decisionem causarum, & prolationem sententiarum,statuta est forma, quorum consilio,qualiter,& per quos sit ferenda sententia in dictis Foris anni 1528.

LII. Denique dictus Iustitia in propria persona solum exercet iurisdictionem suam in dictis primis prouisionibus, & hoc,modis & formis quibus à Locumtenentibus illius prouideri solent,& possunt:&,vt dictum est, votat iuxta Deum,& iuris, seu Fori dispositionem in suspitionibus Locumtenentium: Item diuidit in propria persona scribanias inter dictos Locumtenentes:debet esse vigil erga suos Locumtenentes, vt benê omnia fiant,& si extra Officium delinquunt, eos & alios Priuilegiatos punire instante parte iuxta Fori dispositionem, vt dicitur in For.3. *Isto titul.*eos tutare & defendere, vt cum libertate Iustitia ministretur;scandala à domo Diputationis vitare. Omnia verô,quæ decisionem causarum concernunt,mãdantur executioni per suos Locumtenentes iuxta seriẽ, formam,& ordinem traditum à Foris anni 1528: vbi dicetur. Et si in his delinquunt, quæ dictum eorum Officium concernunt,denuntiari poterunt,& puniri iuxta Foros contentos in titulo Forus *Inquisitionis*:ipse tamen Iustitia non tenetur de culpis dictorum eius Locumtenen.vt dicitur in dicto For. *Inquisitionis*, refert Molin. *fol.*204. *col.*4. *in princip.*Prouisiones manifestationum tenentur in continenti iuxta Forum prouidere, & personæ,quæ manifestantur,custodiri in carcere manifestatorum,qui constructus fuit iuxta For. *Razonable*, *isto titul.* cæteræ primæ prouisiones intra vnum diem, vel infra tres dies,For. *De voluntad*, *isto titul.* Qui carcer manifestatorum visitari debet semel in qualibet hebdomada per Iustitiam vel Locumtenentem,vt dicitur in Foris anni 1564. Et dictus Iustitia, circa dictam expeditionem, & causarum decisionem,nihil potest diffinire sine consilio dictorum Locumtenentium, vt dicitur in For. *Que el Iusticia de Aragon no pueda pronunciar processo alguno.*

LIII. Circa septimam quæstionẽ,quid de salario Iustitiæ statutum reperiatur, cùm nemo suis sumptibus militare teneatur, *l.nauicularriorum,de nauicul. lib.*11. *C. cap.cum ex Officii,de præs. l.oper.de oper.liber.* mirum videtur,quôd de dicto salario Iustitiæ, nihil in Foris statutum legatur,præter emolumenta,quæ ex exercitio dicti Officii proficiscuntur:ita quôd nec illud paruum salarium, de quo meminit Ioan.Ximenez Cerdan in sua littera aliquid in Foris cautum est,asserit ipse Regem Alphonsum patrem Domini Regis Petri,tempore Stephani Gil Tarin Iustitiæ, incorporasse scriuaniam Iustitiatus ipsi Officio. Ita quôd emolumenta,quæ resultant ex dicta scriuania,vt sunt sigillum & salaria litterarum,prouisionum,&processuum,demptis his,quæ Regentibus scriuanias competunt, sunt ipsius Iustitiæ, & hoc solum habet pro salario. Ipsis verô Locumtenentibus Iustitiæ variè fuit statutum, & soluendum partim de generalitatibus Regni, partim à salario depositi,quod fuit posteà sublatum. Tandem in Curiis anni 1563. statutum fuit singulis Locumtenentibus salarium sexcentarum librarum Iaccensium soluendarum ex generalitatibus Regni.

LIV. Circa vltimam quæstionem, scilicet qualiter dictum Officium & eius iurisdictio impediatur,potest dictum Officium considerari in abstracto, prout est separatum à persona,vel in concreto prout inheret personæ.Si consideramus illud in abstracto, plura sunt statuta,vt dictum Officium non deficiat: statuitur enim,quôd dictum Officium prouideatur per Dominum Regem ad vitam prouisi & non nutu aliter,& taliter quôd propter aliquam præcedentem obligationem renuntiari non possit,nec auferri,& si talis fieret renuntiatio,habeatur ac si facta non esset,& seruire & exequi,teneatur dictum Officium, ac si facta non fuisset renuntiatio:super quo sunt cõditi Forus 4.5.6.& 7.*huius tituli.*Et prouisum est insuper,si contingat, dictum Officium vacare morte, priuatione, aut alio quouis modô,vt sint qui dictum Officium exerceant, quôd ipsi Locumtenentes Iustitiæ exerceant dictum Officium, & nominentur Regentes Officium Iustitiatus,donec de Iustitia sit facta prouisio,quæ fieri debet intra triginta

dies,

dies, For. *Cæterum, isto titul.* Et si contingat, aliquem ex dictis Regentibus mori vel priuari interim, quôd Dominus Rex prouidet dictum Officium Iustitiæ Militi iuxta Forum, quôd Dominus Rex si est præsens in Regno, vel eius Locumtenens, Primogenitus, Gubernator, vel Regina, & in eorum defectu Diputati prouideant de Regente, intra quindecim dies à die notitiæ vacationis, vt dicitur in Foro *Los Lugartenientes, isto titul.* Omnia hæc sunt disposita, vt dictum Officium non sit in suspenso, & ea ratione etiam priuilegiantur dicti Iustitia, Locumtenentes, & alii ministri, vt dictum est, ne dictæ eorum personæ in dicto Iustitiatus exercitio quoquo modo impediantur hæc in For. *3. hoc tit.* Si verô consideramus dictumOfficium inconcreto respectu personæ dicti Iustitiæ, licêt sit prouisus, non tamen exercere poterit, nisi postquam fuerit miles creatus, iurauerit seruare Foros, & omnia contenta in For. *De his, quæ Dominus Rex*, & For. *de iur. præst.* Ante præstitum iuramentum non potest admitti ad exercitiũ, adeô quôd si illud exercuisset ante iuramentum, posset puniri, vt vsurpans iurisdictioné, Lucas de Pœna *in l. hac sanctione, C. de diuer. sanct. lib.* 12. Iuramentum siquidem est illud, quôd tribuit exercitium iurisdictionis, Paris. de Puteus *verbo Iustitia, versic. Iuramentum*, Auendaño *lib. 1. cap. 2. in princip.* Postquam verô iurauerit cessabit in eo dictum Officiũ, et illius exercitium morte vel priuatione, quæ potest locum habere in casu Fori: *E porque en la imposicion*, et Fori *Inquisitio*, *fol.* 81. *in fine*, vel alio modô quo vacet: Vacare enim poterit renuntiatione illius, qui dictum Officium exercet, dummodo dicta renuntiatio fiat liberê in posse, et manibus Domini Regis, vt dicitur in For. *Otro si, isto tit.* mors verô dicti Iustitiæ haberi debet pro notoria, Molin. *verbo Mors, versic.* 3. Prohibetur, inquam, dictus Iustitia iurisdictionem suam exercere in his, quæ à Foro fieri prohibentur, cùm iurauerit illorum obseruantiam, et eius principale Officium sit circa duo primô circa obseruantiam Fororum, ad quam ipse, et omnes alii Officiales tenentur: secundo ad providendum, vt per alios dicti seruentur Fori. Et licet alii Officiales ad vnum teneãtur, scilicet ad obseruantiam Fororum, Iustitia verô, seu eius Locumtenentes ad duo, scilicet, ad id, quod alii Officiales, et insuper ad curãdum per suas inhibitiones, quôd alii seruent, propter inobseruantiam eos castigando.

LV. Idem ferê dicẽdum est circa dictos Locumtenentes Iustitiæ Aragonum, vt licêt facta sit prouisio per Dominum Regem, vel extractio de bursa, impediti sint exercere, donec iurauerint seruare omnia, quæ statuta sunt in dicto Iustitia. Verumtamen est quôd ad dictum iuramentum præstandum admitti non debent, nisi cõstet, eos esse ætatis triginta annorum, prout idem statuitur in Francia, Rebuf. 2. *tom. pag.* 148. et quid de iure Burgos de Paz, *fol.* 153. *num.* 57. *cum seq.* Item nec admittendos esse ad dictum iuramentum prætãdum, nisi habuerint scientiam iurium, cum quibus iudicare debent, *in Auth. de iudicib. §. nostris, collect. 6. cap. 1. de consang. & affin. in princ.* Burgos de Pace, *fol.* 146. *num.* 2. et sic, cùm secundum Foros sit iudicandum, requiritur practica sex annorum, ita quôd nisi constiterit eos practicasse per sex annos, vt detegatur eos habere scientiam Fororum nõ erunt admittendi ad iurandum, vt dicitur in Foris anni 1563. et etiam quia vt dicitur *in Proœmio Regis Iacobi*, deficiente Foro, est iudicandum secundum leges ciuiles. Ideô iustissimê est statutum, quôd dicti admittendi ad Officium Locumtenent. sint Doctorati vel Licẽtiati in Iure Ciuili in Vniuersitate approbata, vt dicitur in Foro nouissimo, anni 1563. Itaque ex præmissis resultat, quôd cum defectus ætatis triginta annorum, defectus practicæ sex annorum, et defectus tituli Doctoratus, vel Licentiatus impediant esse admittendos ad iurandum, quôd impedient dictos Locumtenent. in exercitio dicti Officii. Postquam verô iurauerint, erunt prohibiti dictam suam iurisdictioné exercere in omnibus, quæ à iure nostro Fororum fieri prohibentur, cùm iurent obseruantiam Fororum, et super inobseruantia acceptent excommunicationis sententiam: quod iuramentum quolibet mense præstare tenentur. Præterea, si fuerint recusati vel pro suspectis dati, statim proposita recusatione suspensa est eorum iurisdictio donec cognitũ fuerit de suspitione prædicta ad notata *in l. quia poterat, ff. ad Trebell.* et *in l. apertissimi, C. de iudic.* Couarr. *pract.* 26. Aufrer. *de recusat.* Insuper vnus Locumten. impeditur se intromittere in Processibus alterius Locũten. vt statuitur in For. ann. 1558. Ac tandem impeditur Officium et exercitiũ Locumtenentis morte vel priuatione illius, vt statuitur in Foris sub *Tit. Forus Inquisitionis*. IBAN. DE BARDAXI.

LVI. Cùm Ibandus noster Bardaxinus adeô lato calamo ad illius Tituli Rubrum, de OFFICIO IVSTITIÆ ARAGONVM egerit, vt supra visum est, & de ferê omnibus rebus, quæ hic ab illo attinguntur, à Nobis suis locis sit agendum; ideô ne plus iusto in aditu Tituli immorari opere pretium ducens: ad eiusdem Tituli Foros iam deuenio.

DE